



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Tuba Tragica, Seu Historiæ Horroris Plenæ Dominicis Per  
Annum Concionatorio ritu aptatæ, Quibus ad oculum  
ostenditur, quàm acribus pœnis flagitia proscindat  
scelerum Ultor Deus**

**Selhamer, Christoph**

**Norinbergæ, Anno Gratiaë M.DC.XCIX.**

Concio XXII. Dom. III. post Pascha. Gaudium tragicum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52721)



CONCIO XXII.  
DOMINICA III. POST  
PASCHA.

*Mundus gaudebit, vos vero contristabimini, sed  
tristitia vestra vertetur in gaudium. Joan. 16.*

Gaudium tragicum.



Uoties scenicum Drama palam in theatro exhibetur AA. illud semper vel *comædia* erit vel *tragedia*. Si principium fuerit ludicrum ac joviale, finis vero luridus ac subtristis, dicetur *tragedia*; si autem verso temone initium fuerit luctuosum, finis autem risibus & jocis inundet, *comædia* nuncupabitur. Est adeo hæc inter grande discrimen, quod vel ipsum hodie Evangelicum agnovit & detexit. Mundus, ait prima Veritas, meras ludit *tragedias*; hic audias identidem illud Sardanapali per actores pessimos recantari: *ede bibe lude, post mortem nulla voluptas*. At finem illorum malorum ilias coronat; risus in fletum, plausus in lessum, musica in nœniam, tota scena vertitur in gehennam. Quantum multo antè gaudium fuit, tantus inde luctus nascitur, gemitus & lamentum. Deus autem suis cum famulis sub dio meras *comædias* repræsentat. Quamdiu vitam vivunt, dies extrahunt nubilos, tetricos, tempestuosos, quos tamen gloria excipit immortalis, inevertibilis; tunc omnes lacrimæ in lucidissimos uniones & margaritas, omnis amaritudo in divinissimum nectar & ambrosiam migrabunt. Non cogito hodie terrestres delicias cœlestibus opponere, vel has illis comparare; neque peto delicias illas, quas sibi perperam fingunt & malè somniant mundicolæ, fufius hic loci describere, quæ ut plurimum bellè inchoantur, sed pessimè finiuntur, juxta illud Jobi (1) vaticinium: *tenent tympanum*. (1) Job. 21.

C c 3.

num

num & cytharam, & gaudent ad sonitum organi; ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Et tot millenis atque iterum millenis mundi gaudiis unum duntaxat exenterare constitui, ita tamen, ut illius periculosi dramatis veram nauseam & horrorem concipiant Spectatores. Quod illud gaudium est? id nempe, quod ut plurimum probris & turpibus, terrea & æterna morte concluditur. Rich. de S. Vict.

(2) Rich. (2) comparat carnale gaudium, cœcam & pruriginosam libidinem dulcibus aquis, quæ tandem in amarum mare, imò in mortuum pelagus exundant. *Omnia flumina intrant in mare*

re ait (3) Ecclesiastes; quid hoc sibi vult? quærit idem Rich. & respondet; *omnis aqua dulcis in amarum vertitur, quia*

B. *omnis delectatio carnalis in amaritudine terminatur.* Alibi

clarius (4) loquitur, dulces scilicet carnis voluptuosa undæ tandem etiam mari mortuo commisceri: *hæ aquæ*, verba sunt Richardi, *tandem in mare mortuum defluunt.* At cur tantis æstibus aquæ dulces misceri gestiunt mari mortuo? quia nempe nunquam citius, nunquam celerius mors apprehenditur, quam ubi tam avidè carnales deliciæ prensantur. Vita nostra

unicò pendet filò, quò resectò vel disruptò, anima primo quantocius momentò vel sursum migrat vel deorsum, ad celos, vel ad inferos, ubi vel ad tempus purgetur, vel æternantibus focis exuratur; si tamen huic se filio adhuc carnea Veneris moles appendat, hoc ipso sæpè imò plerumque repentino ex assultu actum est de filio, antequam de cæsura quicquam somnietur. Ah! quot hæcenus in medio luxuriantium obscenitatum, à justitia Divinâ correpti, à morte repentina oppressi, rectà in mare mortuum, in flammanthem abyssum defluerunt, ubi vel in hanc horam cremantur! Ah! quot turpis Amodæus sub larva feminina, prout etiam Ernesto accidit, cui viduæ formam sæpè slyx repræsentavit, suos in casses attraxit, & nunquam ultra in libertatem filiorum Dei dimisit? Possunt quidem omnes ac singuli peccatores, quandocunque volunt, ad Deum reverti, possunt Deo suo reconciliari, possunt seriò toti orco nuntium remittere, & veri nominis poenitentiam amplecti. at hoc carneum libidinis scelus aliquam sibi propriam vendicat qualitatem, quâ passim alia esse videmus de-

sticuta

(2) Rich.

Vict. tr. 1.

de stat. int.

hom. c. 10.

(3) Eccl. 1.

B.

Nullum vi-

tium tot

tragedias

ludit

quàm libi-

do.

(4) Rich.

ed extern.

mal. c. 18.

licita. Alia omnia flagitia longè citius, longè faciliùs expugnantur & conculcantur quàm libido; hæc sola ita limosa, ita picea est, ut huic limo illapsus, hac pice contactus se possit ægerimè his fæcibus, & spurcitiis extricare. Vidi benè multos toto capite canescentes centenarios senes, ait, (5) Anast. Sin. q. 8. S. Anast. Sin. q. 8.

naita, qui præ senio manibus pedibusque tremuli, se tamen hoc stygio carnalium voluptatum illicitio non poterant expedire. Ute plurimùm his fæcibus immoriuntur, & ardentis gehennæ barathrò merguntur. Hoc punctum dixeris principale, quod memori mente revolvant luxuriantes proci, lupambuli & lupambulæ, amasii & amasæ, adulteri & adulteræ, lenones & meretrices. *Momentaneum, quod delectat*, æternum est, quod cruciat. Non fuit quidem Sacris Christianis imbutus Seneca, multa tamen à S. Paulo per literas ultro citroque datas acceptasque perdidit, alia inter totis in id viribus incubuit, ut Lucilium suum ab omni libidine seriò abstraheret, ea maximè de causa, quòd luxuriæ tam graves pœnas dare videantur luxuriosi. Multis stetit vitâ temporariâ, multis etiam æternâ, *dimitte has voluptates turbidas (6) magnò luendas*, in Ep. 39. (6) Sen. ep. fortius loquitur: *Serviunt voluptatibus, non fruuntur, & mala sua, quod malorum ultimum est, ultrò amant, involant.* 27. ad Lucil. & 39.

Hæc, ut video, non creduntur, nisi ea tragico quodam factò suffulicam. Prava desideria & carnalia peccata aliqui velut *modicum* reputant, de quo nullus prætor judicet, dicuntque peccatilla, quorum rei & temporali & vitâ privantur sempiterna, si illis inexpectati in duplicatam mortem sua lumina claudant.

Erat Antonius Ballingham doctissimus Belga & Soc. Jesu lectissimus Presbyter. Scripsit libros ultra quadragenos, qui omnes spiritum spirant quasi exoticum, omnibus tamen proficuum & oppidò familiarem. Hos inter, licet omnes cedrum mereantur & aurum, terni tamen exquisitis laudibus celebrantur, sc. *Zocadia*, ubi omnes ac singulos ratione præditos homines, per irrationalium brutorum exempla ad omnem virtutis & honestatis cultum extimulat. Alter est *solatium afflictorum*, ubi prodigiosis patientiæ prototypis omnes ægros & quibuscunque seu curis seu ærumnis graviter afflictos in spem erigit

C.  
 Probatur  
 horribili  
 exemplo.  
 & adu-  
 rantium  
 poenā.  
 (7) Ant.  
 Balling-  
 hem. in  
 Triumph.  
 Cast.  
 Hist.

erigit & fortem patiendi constantiam. Tertius est ac dicitur *Triumphus Castitatis*, duos in tomos distinctus, ubi Angelicam puritatem summis laudibus prædicat, ipsam verò omnium rerum prodigam luxuriam anathematizat. In hoc pretioso carnis triumphantium libro (7) memoratus Auctor perhibet, quàm misero fine Pedemontii in Subaudia conclusa sit adulterans libido. Ibidem à Viro summate spe omnium citius domum regresso sua in arce uxor adultera in flagrante deprehensa est; quod tantis irarum focus herum accendit, ut suis ocuis servis præciperet, adultero retrorsum manus ligarent, eiq̄ue pedes arctè constringerent, inde heri ex imperio supra januæ, quâ itum est in contaminatum conclave, supremum limen, tres grandes clavos ligno immiserant, admota scilicet gradibus, ut tantò commodius ascenderetur. His expeditis, adulteram Dominus ad usque januam illam raptis capillis attraxit, eamq̄ue intentata morte coëgit, ut ex clavis ligno superius insertis suum amasium propria manu suspenderet & suffocaret. Nil poterant lacrimæ, nil valere preces. Latam sententiam exsequi debuit adultera, cum autem sola tantis viribus non polleret, in laboris societatem pedisequam ejus, seu rectius veneris internuntiam accivit, quæ sicut omnem operam contulit, ut hero absente pravos amores sectaretur, ita jam quoque dominæ suæ in suffocando proco auxillatricem manum præberet; sic ambæ, domina & ancilla, adultera & internuntia vicem carnificis obibant, & collo fune injecto longam literam procum faciebant. En bellum & præclarum finem, quem vitæ suæ leno lupambulus imposuit. Tantum moræ datum non est amasio, ut se ritè ad mortem componeret. Sicut vixit, ita morixit, (prout triviales scholæ loquuntur) in ira & rancore, in blasphemis & carnalibus spurcitiis. Sic anima ejus tot pravitatibus infecta ex nativo corpore fatò pulsa est violentò, eò junctis utriusque viribus deturbata, ubi dueros inter ejulatus & assiduos dentium stridores suæ carnalis petulantia pœnas orco solvit sine fine sine termino. Hæc quàm miseram & execrabilem tragœdiam cum suis ludit procaro, perfida venus, & sæculenti corporis teterrima voluptas. His tamen ira heri nec placari potuit, nec mitigari. O quàm verè

verè dixit (8) Sapiens : qui adulter est , propter cordis inopi-  
 am perdet animam suam, prout hic factum cernimus; turpi-  
 tudinem & ignominiam congregabit sibi, & opprobrium illius non  
 delebitur. Dicti hujus rationem mox innuit Script. *Zelus &*  
*furor viri non parces in die vindictæ.* Apud Judæos olim  
 viro non licuit uxorem in adulterio deprehensam occidere ;  
 accusari primùm debuit, inde si rea fuit, ad imbrem saxæum da-  
 mnata fuit. Per Imperium Romano - Germanicum vi Juris  
 Cæsariani maritus adulterum vel adulteram in flagranti depre-  
 hensos impunè necat ; id justo illius dolori connivetur & in-  
 dulgetur; nec talis cædes à iudicibus mundanis ullâ pœnâ ul-  
 lo carcere proscinditur aut castigatur; non tamen hoc ipso ta-  
 lis homicida etiam coram Iudice Divino sua in conscientia li-  
 ber est & ab omni culpa exemptus; aliud est forum profanum,  
 aliud Sacrum & Ecclesiasticum, in foro profano verum est,  
 quod vir uxorem in adulterio deprehensam unâ cum adultero  
 impunè perimat & interficiat, *leg. marito ff. ad legem Juliam*  
*de adulteriis. & leg. Gracchus C. eodem.* Hoc in profano fo-  
 ro pater similiter filiam suam sub poteste collocatam & do-  
 mi suæ patris, inquam, adulterio vacantem etiam impunè  
 unâ cum mœcho trucidat. *l. nec in ea, & l. quod ait lex ff. ad*  
*legem Juliam de adulter.* quibus legibus respectu mariti nihil  
 vult (9) derogatum Jus Bavaricum. Sunt porrò non pauci  
 Juristæ, ut legere est apud Sanchez, (10) qui credunt, per reci-  
 tatas leges fieri potestatem marito & patri necandi uxorem &  
 filiam, ita quidem, ut illis sint publica autoritate constituti  
 carnifices uxoris & filix; huic tamen laxissimo ac perniciosis-  
 simo sensui omnes Theologorum Scholæ reclamant post S. (11)  
 Thomam. Ratio hujus evidens est, quia nec bono prodest  
 communi, & contrâ æternæ salutis adulterantium enormiter  
 obest, si hæc positiva potestas læsis partibus adstruatur. Dis-  
 simulant, non verò ullis modis talem necem leges approbant  
 citatæ; hinc qui hujus dissimulationis beneficiò utitur seu re-  
 ctiùs abutitur, mortaliter peccat, quia formale homicidium  
 committit. Si quis tamen pertinaciter potestatem illam urge-  
 ret tot jure consultis receptam, nōsse debet, jus civile hic lo-  
 ci jam actu correctum esse per Sacras Ecclesiæ leges. Inter

D.  
 Peccami-  
 nosum est  
 ac veri no-  
 minis ho-  
 micidium,  
 cum adul-  
 tera in fla-  
 granti de-  
 prehensa  
 occiditur,  
 etsi in fore  
 externo  
 reus non  
 plectatur.

(9) Jus  
 Boicum l.  
 §. p. 6. t. 9.  
 a. 9.  
 (10) San-  
 chez. l. 19.  
 de matrim.  
 disp. 8.  
 n. 37.  
 (11) S.  
 Thom. in  
 4. diff. 34.  
 q. 2. a. 1. c.

D d septen-

ALHAPEN  
 CIV  
 234

sententias per Alexandrum VII. Summum Pontificem his an-  
nis prohibitas etiam hæc est: *non peccat maritus occidens pro-*  
*pria autoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Monet  
hæc, ne quis existimet licere, quod summo in gradu peccami-  
nosum est. Peccavit aded mortaliter maritus ille imperando  
& cogendo, ut per complices adulter suffocaretur; hoc tamen  
præter alia iusto illius dolori datum est, ut ided à politico ma-  
gistratu non plecteretur. Hic loci graviter ardens & foras ebul-  
liens, ex flagitio conceptus rancor, non una cæde se passus est  
reprimi aut mitigari. Hactenus audita unam tantum consi-  
tuunt scenam ex ultimo præsentis tragœdiæ actu; huic simi-  
les scenæ plures aliæ sequuntur. Suspensio per mulieres adu-  
terò, præcepit adhuc irâ spumans herus, ut totum lectum &  
circumfusæ vestes, quocunque modo per adulterium infecta  
crepantibus flammis exurerentur; quidquid supellestilis & do-  
mestici apparatus in illo conclavi, ubi peccatum est, prostabat,  
alium in locum transferri iussit, ut nihil intra cubiculum illud  
ultrâ ex imperio heri residuum esset, præter modicum strame-  
cui canis domesticus incubaret. Inde omnes conclavis illius  
fenestras, ac tandem illam quoque januam, relicto tamen pen-  
dulo anathemate, firmis undique lapidibus cœmentò illitis ob-  
strui iussit, ut ne quidem modica scintilla in cubiculum pene-  
traret; hoc undique obserato carcere conclusit uxorem suam &  
uxoris adulteræ famulatricem internuntiam ac literarum op-  
prium bajulam (vulgò Ruplerin) ancillam, ut inter perennes  
umbras & horridos fœtores coram amasio suo ex trabe pendu-  
lo reliquos vitæ dies miseriamè absumerent; unum exile ac mo-  
dicum foramen operculo clausum restabat, quod toties redu-  
ctum erat & apertum, quoties alternis diebus aqua & m. ido  
pane pascerentur. Quamdju hoc in carcere durarint vivæ mar-  
tyres, non meminit Author! id certum, utramque hic loci cer-  
ris & umbris, fame ac inedia, fœtoribus & ærumnis exhaustam  
contabuisse. Si hanc horribilem pœnam ut sceleris commissi  
vindictam iusto à Iudice Deo decretam pœnitentes exantila-  
runt, totis ex præcordiis contritæ, dubium non est, quin suam  
in ævum salutem firmarint; at neque de hac pœnitentia ullam  
facit mentionem Author, contentus ostendisse, per stygiam  
bidinem

bidinem hic iterum fatò miserimò ac probrosissimò è vivi-  
sublata esse tria capita, adulterum fune suffocatum, feminas ad  
ulterii reas longò martyriò in tenebris confectas.

Dil. AA. si adhuc hodie adulterium tam enormibus sup-  
pliciiis plecteretur, ò quàm piè, quàm pacificè, quàm fideli-  
ter & candidè uxoribus suis mariti, viris suis uxores convive-  
rent! in veteri testamento quodvis sanè adulterium virà ste-  
tit, sed quam rapuit vis ac potestas publica iudicaria, non pri-  
vata, de qua paulò antè. Sic lex sonat (12) in Deut. *si dormierit* (12) Deut.  
*vir cum alterius uxore, uterque morietur, adulter & adultera.* 22.

At cur ab omni pœna immunes sint veneris nuntia (Kuplerin) aut  
literarum tabellarii, fornicum caupones & directores aut dire-  
ctrices? non essent hi orcini vernæ, dæmonum veredarii, ache-  
rontici mediatores & mediatrices, à quibus sæpè pro pelliceo  
tegmine, pro toga, calceis, & pectorali &c. nobile conjugii  
um dissipatur, & lucri gratiâ evertitur, multorum conjugi-  
um mutua fides, amor, & sinceritas in tumultum usque du-  
rarent. Has pellices, hos sacri connubii turbatores aut tur-  
batrices viros aut feminas junctis viribus omnes Judices ac  
præfeti, omnes Curia ac politici Magistratus, è medio tol-  
lant, excaudicent, eradicent. Hoc hominum genus strictè si  
cribretur & examinetur, frequenter patebit, ut præ ceteris  
Deltio in Disq. suis observat, tales hominum fœces arctis pa-  
cti vinculis orco esse obstrictas, à quo identidem animantur,  
ut totis viribus extinguant connubiales tædas, & omnium ani-  
mis vagam venerem obtrudant.

Ut verò pateat, quantum scelus sit adulterium, evöl-  
vant hac lue infecti, quantis ubique pœnis ac tormentis hoc  
scelus sit mulctatum. Apud Ægyptios (13) adulteri virgis à  
Justitiæ publicæ ministris ad mille plagas cædebantur, feminis  
verò adulteris nares sunt mutilatæ teste Diodoro. Apud Te-  
nedios, Erasmo (14) Autore, ferrâ dissecabantur adulteri, tor-  
mento prorsus horridò & inaudito; tam invisum his gentibus  
adulterii nomen erat, ut illud morte omnium dirissima pro-  
scinderent. Antiqui Saxones olim laqueò aut suspendio adul-  
terium plectebant. Cùm Angli olim fidem orthodoxam mor-  
dicus tuerentur, etiam hanc legem, ut Sylvius (15) perhibet,  
Dd 2

E.  
Feminae  
aut viri  
veneris  
internun-  
tium (Kuplerin)  
ubi-  
que elimi-  
nentur.

F.  
Pœnae in  
adulteros  
decretæ,  
sunt variae.  
(13) Diod.  
l. 1. c. 6.  
(14) Erasim.  
in Adag.

(15) Æn.  
Syl. l. 1. de  
in Alphons.



in adulteros sanxerunt, ut festis solibus extra Ecclesias starent ardentem cereum manu gestantes. Reduces gladiò cædebantur. Licet ipse Mahomet monstrum esset libidinis, hoc tamen flagitium pœnâ mortis prosequi visus est, sibi uni mitis & parvus, aliis omnibus prædominans tyrannus. Jura publica excutiantur? etiam hîc reperias, capite plecti adulteros. text. *l. quamvis 2. C. ad legem Juliam de adult.* ubi signatè hæc habentur: *sacrilegos nuptiarum puniri gladiò oportet*, seu qui alteram ducunt vivente prima. Mitius nonnihil cum hoc hominum genere videtur agere Jus Boicum *l. 5. p. 6. tit. 9.* ubi pro prima vice carcer mensurus determinatur, multa pecuniaria, aut statio ad Ecclesiæ portam; pro altera vice privatio insignium decernitur, exauctoratio, & in exilium amandatio seu patriæ proscriptio, pro tertia tandem vice mortis supplicium præscribitur. Optimæ leges, sed locum monstra, ubi ad amissum ferventur, aurò videas numerosam pravitatem hoc seculò verè plumbeò redimi & exsolvi. Auri dira fames mortalia peccora cogit ad perennem conniventiam. Zelum potius omnes Justitiæ Præsides concipiant, qualem hodie dominus iste corripuit, sed malè sed peccaminosè. Talis Zelus solis Magistratibus competit, qui ad urnam sedent judicariam, hi ex officio tenentur hoc scelus extirpare, id si negligant, in seiplos culpam & pœnam derivant; privatis tamen maritis ex privata potestate nihil horum licitum est aut concessum; approbati adeò non potest, quod herus fecit noster; et si à Brachio seculari punitus non sit, coram Deo tamen triplex dicitur homicidium perpetrâsse! de quo agi debuit pœnitentia, nisi salutis suæ jaeturam pati vellet æternam; permisit nihilominus hîc & alibi justus DEUS, ut viri suas in adulteras irâ exardeferent cruentâ, quæ nonnisi cædibus ac homicidiis sopiretur. Ex hoc ipso apparet, quantum coram Deo sit flagitium, si vel conjugalis status, vel solutus aut viduus his libidinum sæcibus contaminentur. Rectè Lucillum suum ab his spurcitiis dehortatus est Seneca hoc ex capite (16) *quia voluptates corporis more latronum aegyptiacorum eos confodiunt & strangulant, quos suaviari videntur.* Vatem hîc egit Seneca; ea enim pridem hic loci præfagit, quæ actu videmus Pedemontii in Sabaudia

G.  
Carnea  
voluptas  
rectè dicitur.  
(16) Sen.  
ep. 5. ad  
Lucil,

gunc

nunc ad oculum expleta. Possent carneæ voluptatis tragœdias pluribus aliis exemplis firmare; at hæc sibi vendicant anni sequentes.

Interim sententiam nimis quàm veram Veteris Cassiodori, (17) qui annò quingentesimò post Christum natum in Italia vixit, omnibus occino & inculco: *quàm fallax sit periculosa voluptas illa, quam in carne nonnulli perperam constituunt, in experientia libro legitur incessanter, dum ex impudicitia opere nihil remanet, nisi sæda & fetida recordatio peccati in tormentum anima & in expectationem gehenna.* Hæc si vera sunt, ut sanè sunt verissima, has lubricas voluptates seriò ejuremus, ludere si volumus, ne tragœdias ludamus, ubi perennes deliciae tristissimo exitu clauduntur; ludamus potiùs comœdias; ubi omnis tristitia lætitiã anticipet, quam omnibus illis pleno copiæ cornu affundere promisit clemens Deus, qui in vivis patientiæ ac pœnitentiæ assueti, nullas appetunt delicias in terris, aut si quas voluptates sectentur, illis tantùm afficiuntur, quæ spinis mixtæ sint & paliuris, quæ nullo sint flagitiò infectæ, quæ divinæ illius voluptatis non sint eversivæ, quam Deus repromisit diligentibus se juxta illud Psalms Regii (18) oraculum: *torrente voluptatis potabis eos Domine, non in terris, sed in coelis, ubi gaudium perenne nemo tollet à nobis in æternum. Amen.*

(17) Cassiodorus, de amicitia.

(18) Ps. 35.

